



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De episcopis qui tum temporis Romae praesidebant. Cap. XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

Hunc ad vnum diem velut Imperatorem satellitibus stipatum incedere: postridie serui habitu in publicum prodire iubet. His rebus confectis, Alarichus illico propterea fugam cepit, quòd fama de copiis Imperatoris Theodosij ad ipsum bello profligandum missis dissipata, terrorem eius animo incusserat. Neque certe fama illa falsa commentitiæ fuit, sed reuera exercitus Imperatoris ad bellum contra eum gerendum maturauit. Ille igitur cum famam illam ferre non posset, se, vt dixi, in fugam coniecit. Fertur monachum quendam, virum pietate præstantem, ei Romam proficiscenti obuiam factum, admonuisse, ne ex tam atrocibus maleficijs, neue ex cæde & sanguine lætitiæ caperet. Cui respòdet Alarichus: ego inuito planè animo eò proficiscor. Sed est quidam, qui mihi quotidie exhibet molestiam, imò verò vi impellit, sicque me alloquitur: iter capessito, urbem Romam vastato. Hactenus de Alaricho dictum sit.

De episcopis qui tum temporis Romæ præsidebant.

CAP. XI.

Ecclésiæ Romanæ post Innocentium, Zosimus ad biennium præfuit. Quo vita functo, Bonifacius tribus annis illam rexit ecclesiam: cui Celestinus successit. Hic Nouatianis qui erant Romæ, ecclesias abstulit, & Rusticulam illorum Episcopum clam in ædibus conuentus agere coegit. Nam ad illud tempus, Nouatiani Romæ admodum floruerant, plurimasque ibi habuerant ecclesias, & ingentem populi multitudinem coegerat. Verùm grauis tum iracundiæ flamma contra eos incensa fuit, cum Episcopatus Romanus non aliter atque Alexandrinus quasi extra sacerdotii fines egressus, ad secularem principatum erat iam ante delapsus. Ac propterea Episcopi illi his, qui in fide Consubstantialis cum illis consentiebant, conuentus securè celebrandi potestatem minimè fecerunt, sed tametsi eos propter consensum fidei laudabant, tamen omnes suas fortunas illis abstulerunt. At Nouatianis, qui Constantinopoli habitabant, istud minimè contigit. Quippe Episcopi Constantinopolitani præterquam quòd eos amplexabantur, in ciuitate præterea, sicut ante pluribus declarauimus, potestatem conuentus agendi permiserunt.